

sanctissimo, relatis litteris episcopi Antibracensis, in quibus supplicabat pro solutione infrascripti dubii: An eum sacerdotes a Turcis, ut baptizent eorum filios, non ut christianos efficiant, sed pro corporali salute, ut liberentur a fetore, comitiali morbo, maleficiorum periculo, et lupis, an in tali casu possint saltem fide eos baptizare, adhibita baptismi materia sine debita forma? Respondit negative, quia Baptismus est janua sacramentorum, ac protestatio fidei, nec ullo modo fingi potest. Neque hoc loco præmittendum est, vigesimam nonam inter propositiones ab Innocent. XII damnatas die 2 Martii 1679, esse hujusmodi: «Urgens metus gravis est justa causa sacramentorum administrationem simulandi.»

§ VI. — *Non esse conferendum baptismum ubi adsit periculum perversionis.*

In congregatione sancti Officii habita die 3 Maii 1703, decretum fuit, «Baptismus conferre infantibus non licere, qui filii infidelium essent, atque in eorum potestate mansuri. Hoc tamen decretum eos excepit pueros, qui gravissime ægrotantes vita periclitarentur.» Non licere, si sint filii infidelium, et in potestate eorum relinquendi, secluso tamen mortis imminentis periculo. «Licere autem, si filii quidem Barbarorum sint, sed jam Christi militum, dum tamen, aut a viris Apostolicis illic degentibus, aut ab ipsis parentibus, de sanctæ Religionis præceptis ac mysteriis edoceantur, cum adoleverint.» Licere vero, si sint filii Barbarorum baptizatorum; curandum tamen per missionarios, ac per ipsosmet eorum parentes, ut cum ad annos discretionis pervenerint, a se, vel ab aliis instruantur, præsertim in illis regionibus, si non prævideantur in promptu adfuturos ministros evangelicos, qui in hoc parentum commode supplere possint defectum. «In Servia audivimus pauperulas esse mulieres christianas inito cum Turcis matrimonii vinculo copulatas, quæ cum filium pariunt, eum sacerdotibus offerunt, ut baptizetur. Ideo postulatum fuit, qui debeant in casu hujusmodi sese gerere Sacerdotes?» De hac re decretum habetur in nostro Bull. 2, 89, § 8, *Ubi apparet*, «conferendum esse Baptismum, si constet mortem oblato puero imminere.» Istarum vero filios, quos parochis baptizandos exhibent, ubi eorum vitæ periculum imminere videatur, sacro lavacro abluere prædicti parochi maxime debent, admonitis matribus, ut si convaluerint, ipsos in christiana Religione sedulo edocere curent. «Si nullum adsit vitæ periculum, certa regula generalis statuta non est, cum oporteat diligentes omnes expendere circumstantias, et præsertim,» vel eos in Evangelicæ legis et fidei cultu perseveraturos, vel christiana educatione ab ejusmodi matribus fraudatos, mahumetani patris impietatem secuturos esse. «Si sacerdotes, postquam pie et religiose hoc negotium Deo commendaverint, æquum bonumque existiment, prædictos infantulos baptizare, id quidem facerent, matres tamen enixe admonerent de gravis-

simo, quo tenentur, munere filios de christiana Religione sedulo edocendi.»

§ VII. — *In casibus illicitis collatum baptismum validum esse.*

Hujus rei plures sacrarum congregationum solutiones affert, ex iis unam proferam ex cong. S. Officii, habita die 30 Martii 1638 circa Baptismum datum parvulæ puellæ annorum trium circiter filiæ Hebræorum, a Faustina Christiana invitæ parentibus. Eminentissimi Domini censuerunt, parvulam puellam esse vere baptizatam, concurrente materia, forma et intentione; Baptismum probari unico teste; et quamvis filii Hebræorum non possint invitæ parentibus baptizari, si tamen de facto baptizantur, valere Baptismum et characterem imprimi, et filiam baptizatam penes christianos alendam, mulierem baptizantem acriter monendam, ut in posterum caveat a similibus; notificandum vero populo, non licere invitæ parentibus filios Hebræorum baptizare, quia licet finis sit bonus, media non sunt licita, præsertim stante bulla Julii III, imponente penam mille ducatorum, et suspensionem baptizantibus filios Hebræorum invitæ parentibus.

*Nota.* Dum dicitur, Baptismum unius testimonio comprobari, «intelligendum est, dummodo testi aut mari, aut feminæ, fides adhiberi prudenter possit, aut idem si testatur qui baptizavit; hic siquidem se ipsum asserens Baptismum Hebræo infantulo ministrasse, non rem modo a se gestam, sed etiam pœna dignissimum suo se ipse testimonio confirmaret,» sunt verba ejusdem Pontificis qui alium quoque refert casum in congregatione Concilii propositum, et resolutum die 15 Januarii 1723, de infantulis projectis, qui ad Xenodochium feruntur chartam collo suspensam præferentibus, in qua scriptum legitur jam Baptismum eidem fuisse collatum. Resolutio hæc fuit: «Si non lateret, qui chartulam scripserat, eidemque fides tuto præstari posset, tunc infantem ut baptizatam habendum, ac ne Baptismo quidem initiandum sub conditione.»

Altera constitutionis pars de adultorum Baptismate agit, ac primo statuit, puerum sui compotem, et quodammodo adultum censi, dum septennium compleverit, regulariter loquendo; sed hac in re, certissima regula est, inquit: «Quod si circa illam ætatem certo constat, puerum fidei catechismis instructum satis intelligere, quidnam sit baptizari, et quemadmodum sit professio christianæ legis, baptizandus est, quoniam ætas ad contrahendum matrimonium lege humana statuitur: lex autem divina baptismi nequitiam ab humana dependet.»

*Secundo.* Si de perfecto rationis usu dubitetur, monet sacramentum esse differendum, sed hoc qui postulat, retinendum esse, ac sic interea informandum ut idoneus accedat Baptismati postmodum suscipiendo.

*Tertio.* Si quis adultus ad salutis fontem accesserit voluntate animatus accipiendi,

non quodeunque lavacrum, sed unice Ecclesiæ proprium ac peculiare, Baptismum esse validum dubitari non posse.

*Quarto.* Si quis Baptismum accipiens præsentem voluntate careat, quam alias tamen habuerit, talis suscipiendæ lotionis, qualis in Ecclesia frequentatur; tunc examinare oportere, utrum voluntas antecedens nunquam deinceps retractata, adhuc moraliter perseveret. Nam ubi nulla præcesserit retractatio, et moraliter perdurare intentio videatur, est certe validum sacramentum.

*Quinto.* Si nulla sit dubitatio, planeque constet ac luce sit clarius, adulto Baptismum accipiendi, nullam prorsus fuisse voluntatem, aut intentionem, nil restare aliud, quam eundem et hortari et admonere, ut rite id faciat, quod jam irritum facit, et suscipiat absolute ac libere sacramentum, ac si obstinate repugnet, tum nihil aliud superesse, nisi ut remittatur. Si autem res in dubio sit, nec intelligi possit, retinendum esse, baptizandumque sub conditione. Qui vero ita baptizati sint, omnino fidem catholicam observare tenentur.

*Sexto.* Si denuntiet, Hebræum serio petiisse Baptismum, aut duo testes singulares, aut unus tantummodo, sed fide dignus, et omnem citra dubitationem idoneus, et multo magis si adminiculis suffultus; tunc habito testium vel testis examine, non oportere Hebræum ad catechumenos ducere, sed iudex catholicus, qui Romæ est Vicegerens pro tempore ejus voluntatem extra vicium, vel domi suæ, vel in templo aliquo semel atque iterum, aut etiam pluries explorabit, ut Hebræi consilio clare perspecto, et cognito, eum tuto jubeat, aut ad vicium remitti, aut catechumenis recenseri.

*Septimo* demum. Virum aut sponsum Hebræum Christi legem amplexum jure optimo oblationem facere suæ vel uxoris vel sponsæ, in quam jus a legibus, et auctoritatem sibi concessam habet. Facta vero hæc oblatio, nec sane potest, nec omnino debet a christifidelibus recusari, qui tenentur nulli parcere diligentiam, nullique studio, ut christiana veritas jam viro, aut sponso cognita, uxori quoque aut sponsæ lucem afferat, ac salutem: eo vel maxime, quod romani pontifices licet Judæis vim fieri quoad Religionem severe prohibeant; palam tamen significant, nihil sibi antiquius esse, optabilius nihil, quam ut iidem aliquando e tenebris ad lucem, ab errore ad veritatem veniant; ideo semel in singulas hebdomadas iis publice Evangelium annuntiari, eosdemque jubent sacris hisce conjunctionibus interesse, ut apparet in constit. 1 Nicolai III et constit. 106 Gregorii XIII.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(121. De usuris Hebræorum erudite, ac fuse agit decis. 301, part. v, t. I Recent. ubi quæstionem tractat, an Hebræis occasio mutui fenerari licitum sit; ubique etiam elegantissime illa Deuteronomii cap. III, verba explicat, concluditque usuras æque ac christianis, sic Hebræis prohibitas esse

censendas, utpote quæ tum divino, tum canonico, tum naturali jure prohibentur.

(122. Cæterum clarissimi viri occasione mutui non esse prohibitas rationibus non contemnendis tenent Grot. Dissert. præmial. cap. 1, sect. 2, de usur., tom. V, Puffendorf., lib. v, cap. 7, § 9. Videndi post hos eorumdem interpretes, qui eorum sententias fere omnes amplexi sunt; Binkershoek, Thomasius, Gerardus Noodt, et ea quæ nuper ea de re exhibuit Antonius Genovesius in sua Oeconomia civili t. II, p. 148 et seqq., p. 13, qui omnes cum Aristotele non conveniunt, quem tamen Theologi fere omnes secuti sunt, cum ab illius sententia recedere centum abhinc annis foret piaculum. Consule Henricum Cocceium Disput. de anatocismo § 5 et seqq.

(123. Neque ex eo quod tolerantur, licitæ sunt in Hebræis usuræ, sed istæ absolute non prohibentur ad evitanda majora mala; quemadmodum ex lege Moysis tolerabatur, ut Hebræi libellum repudii mitterent uxoribus, ne a viris suis interficerentur. Vid. cit. Dec. 301, part. v, tom. I, a num. 31 usque ad fin.

(124. In alteram post hanc quæstionem incidimus, an Hebræorum usuræ duplum sortis valeant excedere. Affirmativam erudite magis quam vere sustinet Surd. Cons. 302, per tot. Contrariam tamen sententiam rectius tenent Fachin. lib. x Controv., cap. 63; Roderic. de Annuis redditibus, et cæteri plene deducti per Manente cons. 148, lib. II, ubi ex professo argumenta Surd. loc. cit. refellit. Et quanquam De Luc. disc. 5, de usuris aperte initio profiteatur de hac quæstione quid sentiat se nolle declarare, sententiæ tamen proclivior esse videtur, ne Hebræorum usuræ duplum sortis valeant excedere. Cui opinioni valde assentior. Revera esto etiam, quod de Hebræorum usuris Ecclesia non curet; fiet hinc, quod Hebræis fenerari licitum sit civilibus legibus permissis, modum tamen civilibus legibus præscriptum prætergredi non poterunt; istis enim tum Hebræi, tum christiani obligantur, utrique quippe dicuntur cives de populo et corpore ejusdem civitatis ad notata per Cyriac. controv. 241, Surd. decis. 133, Rot. dec. 414, part. I, Rec. dec. 269, part. IV, t. II, n. 18 et seqq. Quapropter in sortem imputandum erit, quidquid ultra duplum sortis usurarum nomine et ipsis Hebræis fuerit persolutum ad leg. 27, Cod. de usur., Nov. 121, 138, 160, Chr. ab Ilag., cap. 5, num. 15, L. Si non sortem, ff. de cond. in deb. etc.

(125. At quatenus civilibus legibus permittuntur in genere, et in specie tolerantur ab Ecclesia in Hebræis usuræ, quæri etiam posset, an christianus recipere possit ab Hebræo usurarium creditum vel cessionis, vel donationis titulo tuta recipientis conscientia. Negativam tenent de Luc. de Usur. disc. 5 et 6, per tot. cum cæteris, quos refert sub num. 13, disc. 15, concluditque donatarium, vel cessionarium christianum non posse tuta conscientia acceptare Hebræi creditum ex causa usurarum, etiamsi titulo

